

eclipseos legisset, huic se cogitationi daturum, rogare autem, ut si quam lucem adfundere his tenebris commentatione sua posset, id uti faceret. Mullerus viri commotus auctoritate, velle coepit, praesertim cum Fridericus Vilelmus Magnus idem aliquando ex eo quaereret. Nam cum Magnus ille heros et eius vxor nostri Regis auia, fortis et haud minus sapiens eruditaque foemina Sinicis litteris veluti portum quendam in aula aperuissent, non modo Menzelius saepe de iis cum utroque Principe loqui solebat, sed si quid dignum tanto vindice videbatur, etiam Mullerus in partes vocabatur, quem aequae ac illum multa ob eruditionem adficiebant gratia. Memini illum nostrum Magnum Imperatorem, adeo etiam cum Stetinum obsideret, non intermisisse hanc de Sinis cogitationem, sed cum partem librorum Confucii ex India accepisset, de ea Mullerum consuluisse, cuius explanationem quam grate accepit, Menzelium, qui vna in castris erat, iussit ad amicum scribere, in qua epistola vidi Electorem spem facere, plures ex Sinis et India libros allatum iri et de Brachmanicis aliqua eundem interrogare. Haec erat istorum temporum felicitas. Poterat hoc Principis studium et exemplum Sinicas litteras in lucem et aestimationem hominum asserere, si sola Principum cogitatio, non vero etiam certa Numinis vis in litteris regundis versaretur. Serius ex India aduecti sunt Annales. Quos cum a Mullero Princeps non adesse in bibliotheca cognouit, protinus adferri iussit atque cum A. MDCC LXXXIII. accepisset, siue typographiae initia siue eclipseos historiam explicari ex iisdem voluit. Mullerus postremum maluit atque ita Germanice conuersam Eclipseos historiam edidit. Hanc ego nondum vidi. In concione quoque oratione publica idem argumentum edisseruit Electoris mandato, quam habeo ab eo editam, sed mutilatam tamen. Deinde A. MDCC LXXXV.

Spe-